





4

Illustriſſ. Princi-  
PVM, VL RICHI DVCIS VVIR  
TEM PERGENSIS, ET PHILIPPI  
LANTGRAV II Hessiae, pro Ducatu  
Vvirtempensi, ad CAROL VM  
V. Imp. & FERDINANDVM  
Regem, Supplices Libel  
li. Alia'q; in ean  
dem caus;  
sam  
scripta.

M. D. XXXIII

A

Thesmariſſ. A. 2





## AD LECTOREM.

**N**os Dei gratia, VLRICHVS Dux in Vvirtempergk et Teckh<sup>o</sup>. Comes in Mumpelgart, Et PHILIPPVS Landtgrauius Hes- siæ. Comes in Catzenelnpogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda: Omnibus & singulis, post obsequia nostra, gratiam, & benevolentiam. Perspectum esse volumus, Quòd, cum nos Vlrichus, superioribus annis, è ducatu nostro Vvirtembergensi, ac simul omnibus, quæ ad ipsum pertinent, sine iuris cognitione, adeo & contra sacros. Rho Imperij con- stitutiones ( id quod luce clarius est) deturbati fuerimus atq; electi, eo & hactea- nus non sine maximo Rho. Imperij, Teutonicæ presertim nationis, nostro, simul atq; filij nostri, quem vnicum habemus, & stemmatis, incommodo, detri- mento & destituti, caremus: Summaq; nos adigat necessitas ( praeter hoc quòd et diuino et humano iure ad id tenemur) rursus ad hunc recuperandum, modis, vt fieri potest et res nunc est, dignioribus, nobisq; vero domino ab omnipoten- ti Deo, & lege permisis, operam nauare. Illustiss. simul et Potentiss. Principib. ac dominis, domino Carolo V. Cæsari nobis gratosissimo, Et domino Ferdi- nando Regi, scripsimus, atq; eos, quos coram cernitis, libellos supplices presen- tauimus, non sine maxima spe, ipsos pro maiestate illa sua atq; dignitate, curatu- ros, vt ducatus ille sic ablatis, rursum nobis benigne cedat. Quod si non impe- trauerim<sup>o</sup>, et sic ad permisam eius recuperationem, vt ipsi tandem accingamur, fuerimus adacti: tunc omnes & singulos Principes, Comites, Barones, Eque- stris ordinis viros, Ciuitates, & cuiuscumq; conditionis homines, exoratos ha- bere cupim<sup>o</sup>, id ipsum institutum, ceu fidelia membra, et nō minima Sacri Rho. Imperij, Nationisq; Teutonicæ pars, animis vestris commissum, optimi consu- lati, memineritisq; ad huiusmodi recuperationē Dei Opti. Max. auspicijs præsu- mēdam, naturale, honestū, iustū, æquum & prope diuinū desiderium nos ha- bere, id quod æquissimo iure quoq; habere debemus. Proinde hoc sibi persua- sum quicq; habeat, oppugnandi Ferdinandum ob regiam electionem, vel quemquam alium, aut seditionem excitandi, nobis animum nequaq; esse. Quinetiā omnia, quæ ex communi Suevici foederis pacto, vel alias in nos VI- richum, dum ejiceremur, commissa sunt, siue consilio, siue ope, condonata velle habere, necq; propterea, vel nos ipsos, vel alium nostro nomine, cuiq; negocium facturos. Sed magis utriq; vt ex sanguine Vvirtembergensi progenito, patriam terram, Deo Opt. Max. fauente, recuperandi desiderium esse. Illud ubi latius rapi, & excurrere cooperit, q; ipsi rati essemus ( cuius tamen A. n. neq;

neq; ppossum neq; consiliū nobis est ullum. & sic ineuitabilib. quibusdam  
incommodis fenestram aperuerit, cum excusatos coram deo iet mūdo nos quisq;  
habeat, atquē h̄s culpam impingat, qui iustitiae resistētes patrium, atque eū, in que  
nati sumus, principatum, aduersus deum, leges, ac æquitatem occupant, atq; dis-  
cordiae materiam q̄ latissime præbent: causamq; hanc nostram ut iustum et æ-  
quam consilio, ope, ac quouis modo promouere studeat, & sic profide sua quā  
Imperio, Teutouicæq; nationi quisq; debet, sese gerat. Id quod Deo opt. Max.  
placitum Sacros. Rho. Imperio utile et honestum, dubio procul, erit. No s̄q; pro  
cuiuscq; dignitate, et conditionis modo, id refundere, perpetuo non desinemus.

## AD CAROLVM V. IMP. RHO.



Otentissime atq; Clementis. Cæsar, Quanta  
rerum necessitate cogamur Cæsariam tuam Majestatem  
interpellare, vt tibi et Sacros. Rho. Imperio obsequios  
fissimi Principes præsentibus exponemus, ea erga Dea  
um opti. Max. tuamq; maiestatem spe freti, nos interi na  
non modo auditum verū etiam exauditum iri. Et  
cum in hoc multa variac, quasi ab uno repetere res ipsa  
cogat, inter ea, si forte exciderit quo grauari ledive qf-  
piam videri posset, id in nullius mortalium siue summæ  
siue infimæ conditionis sit, detrimentum aut eleuationem esse prolatum, sed  
pro sola caussæ nostræ iustitia conseruanda' ingenue testamur. Quare et C.T.M.  
q; officiosissime rogamus moleste hoc non ferat, vti & de C. T. M. diuina pros-  
pe clementia prædicta, et de quouis honesti studio, planè confidimus, Porro  
Maiores nostri Comites atq; Principes Vvirempenses, & ego Ulrichus  
Dux, eo tempore quo per annos licuit, in omnibus ad laudem, emolumendum  
et promotionem Imperij pertinentibus, vt fidelia ac obedientissima membra  
Sacros Imperij Rho. decet erga omnes Rho. Imperatores et Reges, nos fideles in-  
defessos et officiosissimos semper ostendim' et exhibuimus. Imprimis ego ipse  
(quod tamen citra iactantiam dixerim) temporibus Maximiliani Cæsaris, om-  
nes cum vires tum facultates meas, ad eius Maiestatem, Sacros Imperium, et præ  
cipue

cepue domum Austriae, syneero et quam fidissimo animo apposui, hoc vnsi quas  
rens, vnde Maiestati eius gloria, et domui Austriae incrementum accederet, Nos  
q; quod in hoc ex me petitum esset, modo corporis et substantiae meae  
vires non superaret, facere recusauit posthabui vnq;. Cuius apud Deum  
Opri. Max. omnes Electores aliosq; Principes, et Imperij Status, testimonium  
inuenire facile possum. His adde, quod ad dies meae vitae, dum administratio-  
nem gessi, Iustitiae, et quantum res ipsa ferre poterat, mansuetudini ac clemen-  
tiae semper studui, perinde atq; coram C. T. M. & vniuerso orbe, Dei auxilio  
occupletissime ostendere atq; docere possum, tantum abest ut aduersus C. vel  
R. M. vel Sacros. Imperium ( cuius membrum ipse q; sum, et esse me agno-  
sco) moliri in animum meum induixerim vnuquam. Sed contigit q; fidelis mihi  
minister, arcis meae Achelm praefectus, ab aliquot flagitiosis hominibus, q; a mi-  
nister meus, adeo q; in mei ignominiam, Reutlingae fuerit misere interfactus.  
Quam obrem mihi dissensio cum ciuitate Reutlinga esse coepit. Eam cum foedus  
Sueicum defensandam suscepisset, praeter haec quod Rho. Imperio memel lu-  
bens submiserim, & eius ius implorarim, tum q; Illustris. Princeps meus af-  
finis & Sorori<sup>9</sup>, Ludo. Palatin<sup>9</sup> Rheni Elector, tunc reporis, cis Rhenii terrasq;  
Francici iuris, per Imperium Vicari<sup>9</sup>, hmoi confederatis pacem, atq; vt coepit  
desisterent, & iure siquid in me haberent, experirentur. Imperiali autoritate  
(qua tunc functus est) et indixit, et maximis adiunctis poenis parere iussit: ingen-  
ti exercitu conscripto me inuafit, & patrio illo haereditario q; Principatu, sine  
Omni iuris cognitione, me non vocatum, non auditum, verum sola vi, ades-  
o q; contra omnem iuris & aequitatis rationem, prorsus deturbauit, & ejecto.  
Id quod tam manifestum est, vt secus esse factum, probari ( Deo gloria ) non  
queat. Ex quo C. T. M. pro summo illo & diuino ingenio, statim & quam  
efficacissime colliget, destitutionem illam in me, & inique, & contra ius,  
publicam pacem, omnesq; Imperij Rho. constitutiones factam, quibus inter  
alia sanctissime cauetur ne quisq; sine iuris ordine, rebus suis, presertim maiori  
substantiae suae parte exui atq; priuari debeat, Maxime, cum C. T. M. in electio-  
ne sua Regia atq; coronatione, omnia et singula, quae Vicarij per Imperium  
tempore interregni gessissent, & sic mandatum illud Ludouici Palatini pacis  
ergo interpositu, cu ratificari tū confirmari. Istis modis haereditaria illa ac paterna  
diione terris ac populis in hunc usq; diem destitutus maneo, quae interim in C.  
T. M. Fratris Ferdinandi Regis manus, non quidem iusto vlio Titulo, sed de  
facto, dumtaxat, & per technas in perniciem meam ab aduersarijs structas sunt  
deuoletuta. Et quamuis certam mihi spem conceperam, me apud C. T. M. eius  
& fratrem Ferdinandum Regem, eam gratiam benevolentiā q; inuenire posse, ve-  
g multorū Electorū, ac Principum intercessionem s̄p me, cum magna et  
diligentia

A ij

diligentia

diligentia & sedulitate ut pro inabscisso, officioso, & fideli Sacri, Rho. Imperij membro facta, & q. Cæ. T. M. in Regia sua electione & coronatione gratiose & adserensit & permisit, vt singuli Electores, Principes, Potestates & quicunq; alij, id quod elapsis temporibus vi & sine iuris cognitione ablatum esset, recuperare, etiam C. T. M. ope, veluti legibus rectum est, debeant: Tandem ad Auitum illum Principatum, iure et diuino & humano ad me pertinentem, redire lis cuisset. Cui & illud non modicum spei atq; cōsolationis addebat, q. verissime accepi, dum C. T. M. Fratrem suum Ferdinandum Regem, in Comitijs Augustanis huiusmodi feudo insignire præsumpsit, Electores Imperij Rho. Principes intercessisse, nec huiusmodi inuestituram adsidendo ante admittere voluisse, quam C. T. M. ex confesso responderit, se feudum illud, Fratri suo, nō secus atq; pro suo iure, saluo quod quisq; iuris in id haberet, collaturam. Id quod nec mihi, necq; stemmati meo obesse quicquam poterit. Vnde eam spem hausī, posse fieri, vt C. T. M. istiusmodi alijq; rationibus ducta, exilij mei tandem miseri disceret, maxime eius qui aduersus Sacros. Imperium, aut domū Austriæ, neq; molit<sup>9</sup> esset vñq;, necq; qcq; moliri velit. Verū et illud me fefellit, et in mei, hæredum, atq; stemmatis, cum detrimentū tum eleuationē, haec tenus dilatū est.

Quare ego ipse sicuti dux Vvirtembergensis & ab Imperio inuestitus, quandoquidem ad hoc me obligatum agnosco, vti pro Imperij Rho. filij mei, stemmati atq; nominis, commoditate & conseruatione, ad Principatum illum Auitum, vi mihi ablatum, terras, populosq;, redire queam, summis natalib<sup>9</sup> ortum Principem cognatum meum Philippum Landtgrauium Hessiae &c. ali osq; dominos meos atq; amicos, pro auxilio & supperijs ad publicam Imperij pacem, gloriam & libertatem conseruandam, implorauit.

Et quia ego Philippus Landtgrauius, ex sanguine Vvirtembergensis stemmatis progenitus sum, præterea q. hæc destitutio (vt quilibet exploratū habet, et minus suspecti secus non iudicant) in Sacros. Imperij eleuationē, perniciemq; multis modis vergit, ceu plæriq; & suūmæ & infimæ conditionis & sortis viri, passim conqueruntur. Tum mihi, stemmati & posteritati meæ ignominiæ & detimento incomparabili esse à nemine non cognoscitur: corā C. T. M. vt vero & gratioſiſſimo domino nostro, & vniuerso orbe, hoc ingenue testas- mur vterq; animū vel institutū nobis non esse, Ferdinandū, ob regiam electio- nem vi opugnandi, vt fortassis ab hominib<sup>9</sup> parum nobis propitijs atq; æquis tradi- ci possemus: sed eandem cauſam ad me Vlrichum non pertin entem, suæ et legitimæ executioni, cōmittere nos velle. Cui tamē ij, inter q̄s sup ea conue- nit Electores et Principes, nos q̄q; C. T. M. propediē rcddemus certiore. Necq; bel- la et seditiones excitandi, per Germaniā vel ex teras nationes, aliūmue grauādi aut sectas defendēdi nobis cōſiliū esse; sed hoc vñū, vt ducat<sup>9</sup> Vuirtēbergēſis no- bis

bis ablati naturale possessione vigore publicae Rho. Imperij pacis, iuris et libertatis, Dei auspicio recuperare, & deinceps pacem ac quietem habere (modo id pacifice & quiete fieri queat) & C.T.M. obsequentissima officia ad quae semper paratiissimi fuimus & esse volumus: perpetuo praestare valeamus. Similiter Ferdinandum Regem atq; alios, necq; molestabimus, necq; ea quae in me Vlrichum ducem dum illegitimis modis propellerer commissa sunt, erga quemc<sup>z</sup> refricabimus, sed ex integro missum faciemus. Sin vero dictam recuperationem sic affequi non valeamus, & sint qui huic diuino, aequo & legitimo insti-tuto, obstat atq; impedimento esse præsumperint, ex quo necessitate ineuitabi-li, non nihil, fecus quam consiliū nobis fuit oboriatur, sicquē institutum hoc nostrum & recuperationis caussa, latius serpere vel exorbitare parumper coepit, tunc rursus apud Deum atq; mundum excusari nos volumus, atq; coram testa-ri, nostram eam culpam, voluntatem, aut mentem non esse, necq; esse debere, sed eorum, qui iustitiae obstat audent, sperantes, quemlibet recti honesti<sup>c</sup> studio-sum & amantem, in hoc nos excusatos habiturum, atq; animo perpensurum, quemadmodū ipse & quisquis alias in simili casu, & agere, & sibi fieri optaret.

Rogamus itaq; magnopere C. T. M. cuius ingens in hoc exspectatio est, gratoe & vt Cesari<sup>n</sup> animi existit, consideret, vt ego Vlrichus Dux, Principa-tu meo, contra omnem iuris et aequitatis ratione fuerim destitut<sup>o</sup>, tum q; ambo recuperandi eius possessionem desiderium habeamus honestum, naturale, & aequum. Proinde q; Electores in memoratis articulis ponendis sanciendisq; , si militer in collatione feudi Ferdinando facta, aliqui<sup>t</sup> Principes qui in Comitijs Au-gustanis, pro me Vlricho duce, suppliciter intercesserunt, id ipsum quoq; decēs, honestum, utile, iustum, et aequum esse rati sunt atq; iudicarunt, per quod & in primis pax, & tranquillitas Teutonicæ nationis & fortassis vniuersi orbis Christiani stabiliri, gloria Dei Opt. Max. quæri, ius & aequum, incorruptis & honestis modis impetriri atq; defendi possit. Sine quo, timor est, nostris et ducū Vuirtembergensium temporibus: si in hunc modū ditione sua carere cogantur, pacem ex integro seruari non posse, verūm vti rerum necessitas exigit per-petuo fore quod moliantur. Et si huius naturalis possessionis recuperationem ad quam necessitas ipsa nos adigit, aegro aut grauato animo minus excipiat: sed expenso, quantum gloriæ, cummoditatis & successus etiam C. T. M. fra-tri Regi Ferdinando hinc prouenire queat, apud eum gratoe efficiat, ne diutius in hoc nos suspendat, aut impediatur. Id quod Deo. Opt. Max. gratū, Teutonicæ nationi pacificum & foelix. C. T. M. gloriosum & immortale, & pro iure in republica conseruando præcipuum erit. Præterea vterq; nostrum, vna cum hæredibus & toto stemmate, id erga C. T. M. promereri perpetuo studebi-mus, Cæsarium adeoq; gratoe responsum exoptantes.

## AD FERDINANDVM REGEM.



Erenissime Rex, Infra scriptam causam Regiae tue dignitati ex animo sincero, sed vro gente nos necessitate exponimus, obsequiosissime efflagitantes, eam beneuole audire velis, & pro necessitate nostra boni consilere. Quia verò in hac multarum rerum mentionem facere cogimur, si quid ex ijs videri posset, quasi alteri graue, & dispendiosum, testamur id in nullius detrimentum siue summae siue infimae sortis fuerit, prolatum esse, sed duntaxat pro iustitia nostræ caussæ conseruanda.

Quandoquidem R. T. D. tempore quo in Germanica Natione fuit, uti non dubitamus, compertum habet, quomodo nostri Ulrichi Ducis Maiores, Comites, & Principes in Vvirtemberga, postremo ipse quoque Ulrichus in rebus, gloriam, utilitatem, atque successum Sacros. Rho. Imperij concernentibus fedes, indefessos, & diligentes erga omnes Rho. Cæsares, atque Reges, nos gesserimus. Precipue verò ego (quod citra iactantiam dixerim) temporibus Maximiliani Imperatoris aui tui, omnes facultates nostras ad Maiestatem eius, Imper. presertim Austriae domum impertiuimus, idque fideli & sincero corde, semper illud querentes, ut eius Maiestatis, potissimum domus Austriae, gloriæ non nihil accederet, neque, quod in hoc ex nobis optaret esset, modo corporis atque rerum nostrarum vires non excederet: recusauimus vñq. Cuius Deus omnipotens, omnes honesti studiosi Electores, Principes, & alij Imperij Status, locupletissimi testes esse poterunt. Quibus adde quod tempore regiminis nostri, atque publicæ administrationis. Iustitiae, & quo ad res ipsæ patiebantur, mansuetudini ac clementiæ semper studiuimus: perinde atque coram vniuerso orbe, Dei auxilio liquide ostendere, & docere possumus. Neque vñquam in animum induximus nostrum, aduersus C. aut R. M. vel Sacros. Imperium (cuius membrum nos quod sumus, & esse agnoscimus) aliquid adtentare. Verum contigit quod fidelis nobis minister, arcis nostræ Achelm praefectus, ab aliquot flagitiolis hominibus, quod minister noster, adeo quod in nostri ignominia, Reutlingæ atrociter fuerit interficetus. Quod tū maxime nos mouit, eo intuitu quod nobis fidus admodum fuerat, & sic ab hominib[us] iniurijs eūvtiq[ue] defendissimus. Ut credimus nemo non honestus D[omi]ns faceret, in casu, quo minister sic fidelis, tanta libidine trucidatus occidisset, quare dispensatio nobis cum ciuitate Reutlinga esse coepit, cuius cum Foedus Sueicum tuisationem suscepisset, præter hoc, quod Rho. Imperio nos quam lubentissime submiserimus

misericordia; & eius ius inuocauimus, tum q̄ Summis natalibus progenitus  
Princeps, affinis noster & Sororius Ludouicus Palatinus Rheni Elector,  
eo temporis cis Rhenum, terraq; Francici iuris, per Imperium vicarius hu-  
iusmodi confoederatis pacem, atq; ut instituto desisterent, & si quid in nos ha-  
berent, iure experirentur, autoritate Imperiali, (qua tunc functus est) & indic-  
xit, et maximis additis poenis parere iussit, ingenti exercitu comparato nos inua-  
sit, & patrio illo, Haereditarioq; Principatu, sine omni iuris cognitione, nos  
neq; vocatos, neq; auditos, verum sola vi adeoq; contra omne ius & aet-  
ernum omnino deturbauit & eiecit, id quod tam manifestū est, vt secus esse fa-  
ctum, probari ( Deo gratia ) non queat. Vnde R. T. D. facile coniūciet, &  
pro summo illo ingenio q̄ efficacissime colliget, destitutionē illam in nos ini-  
que, & cōtra ius comūne, publicam pacem, omnesq; Rho. Imperij constitutio-  
nes, factam: quibus inter alia sanctissime cauetur, ne quisquam sine iuris or-  
dine, rebus suis, presertim maxima substantiæ suæ parte, exui atq; priuari de-  
beat: imprimis cum C. M. Dominus noster gratioſissimus in electione sua re-  
gia atq; coro natione, omnia & singula quæ Vicarij per Imperium Rho. tem-  
pore interregni gessissent, & sic mandatum Ludouici Palatini pacis ergo inter-  
positum, tum ratificarit, tum confirmarit. Ex quibus verissime sequitur, vt  
alia taceam que hic referre non admodum fuerit opus: Principatum illū  
Vvītempurgensem, quo nos Ulrichus, vti narratum est, priuati sumus, in  
R. T. D. manus, sine ullo iusto titulo, sed de facto solum, per technas in per-  
niciem nostram ab aduersarijs nobis stractas, peruenisse. Et quamvis certam  
nobis spem conceperamus, nos apud R. T. D. eam gratiam benevolentiam  
q; inuenturos, vti post sufficientem rerum narrationem, tum vt negotium isto  
hoc est, & ob multorum Electorum aliorumq; Principum intercessionem sa-  
pissime pro nobis vt amico, inabscisso, beneuolo, & fideli membro Rho.  
Imperij q̄ diligentissime & sedulo factam, similiterq; C. M. in regia sua elec-  
tione & coronatione gratioſe & adsensit & permisit, vti per se iustum et æquum  
erat: q; C. S. M. omnes Electores Principes, atq; alios, in id quod sic absq;  
iuris cognitione ablatum fuisset, reducere, ad auitum illum Principatum, ad nos  
iure diuino & humano pertinentem, tandem redire licuisset, cui & illud non  
modicum spei adjicebat, q; verissime accepimus, quando C. M. in comitijs  
Augustanis R. T. D. Ducatum nostrum Vvītempurgensem conferre præsum-  
psit, Imperij Rho. Electores magnopere inntercessisse, neq; huiusmodi inue-  
stiturā ante admittere voluisse, quam C. M. ex confessō dixerit, se Feudū illud R.  
T. D. non secus atq; pro iure suo collaturam, saluo quod quisq; iuris in id ha-  
beret, id quod neq; nobis, neq; stemati nostro obesse poterit, ex quo rursus  
sperauimus, posse fieri, vt C. M. & R. T. D. istiusmodi alijſq; rationibus

B ductæ,

ductæ , nostri & contra iuris ordinem sineq; cognitione püssi Principis, exiliū tandem misertæ fuissent, maxime eius qui neq; aduersus Sacros Imperium, vel Austriae domum, moliti aliquid sumus, neq; moliri volumus, sed & hoc me secessit, atq; in nostrum, hæredum & stemmatis detrimentum, damnum & ignominiā hactenus dilatum est. Quare ego ipse sicuti Dux Vvirtempergen sis & ab Imperio inuestitus, quandoquidem adhoc me obligatum esse agnoscō, ut pro Imperij Rho. Filij mei, Stematis atq; nominis utilitate & conseruatione, ad Principatum illum, vi nobis ablatum, redire valeamus, summis natalib<sup>9</sup> progenitum Principem cognatum nostrum Philippum Lantgrauium Hessiae, aliosq; Dominos nostros & amicos, pro auxilio suppetijsq; ad publicam pacē, gloriam & Imperij libertatē conseruandam, implorauimus. Verū quia ego quoq; Philippus Lantgrauius ex sanguine Vvirtempergensis Stemmatis progenitus sum, præterea, q; hæc destitutio (vt quilibet ex ploratum habet, & minus suspecti, secus non iudicant.) in sacros. Rho. Imperij eleuationem perniciemq; multis modis, vergit, tēu pleriq; & summæ & infimæ sortis viri passim conqueruntur: dum nobis, Stemmati & posteritati nostræ, ignominiae & detimento incomporabili esse, à nemine non cognoscitur. Principatum illum Vvirtembergensem, Dei auxilio, recuperare ambo instituim<sup>9</sup>, protestantes coram Deo, R. T. D. & vniuerso orbe, animum aut propositum non esse, R. T. D. propter Regiam Electionem, vi aut defacto oppugnandi, veluti per homines forte nobis parum propitios atq; æquos, traduci possemus: sed eandem caussam (ad nos Vlrichum non partinentem) suæ, & legitimæ executioni committere nos velle: cuius etiam nos vñā cum ijs, inter quos super ea contuerit C. M. propediem certiorem faciemus. Necq; bella aut seditiones, per Germaniam, exterásue nationes suscitandi, aliūmū grauandi, institutum nobis esse: sed hoc vnnm, vt naturalem Ducatus illius Vvirtempergenfis possessionem, vigore publicæ Imperij pacis, iuris & libertatis, Dei auspijs: ceu narratum est: recuperare, & deinceps pacem ac quietem: modo id pacifice et quicce fieri queat: & C. M. gratosissimo nostro domino obsequentissima officia: id quod semper fecimus, & adhuc quamlibentissime facere velimus: præstare valeamus. Proinde R. T. D. aliosq;, in rebus suis non molestabimus, neq; ea quæ in nos Vlrichum: dum illegitimis illis modis deturbarer, commissa sunt, erga quenq; refricabimus, sed ex integro missum faciemus. Sin vero memoratam recuperationem sic adsequi non valeamus; et sint, qui huic diuino, æquo & legitimo instituto obstare, atq; impedimento esse præsumptent, ex quo ineuitabili quadam necessitate, non nihil secus, quam confisum nobis fuit, oboriatur, sicq; institutum hoc nostrum & recuperationis caussa latius serpere, vel exorbitare parumper coepit, tunc rursus apud.

apud Deum & mundum excusari nos volumus, atq; coram testari, nostram eam culpam, mentem ac voluntatem non esse, neq; esse debere, sed eorum qui iustitiae obstare audent, Sperantes quemlibet recti honestiq; amantem, in hoc nos excusatos habiturum, animo&q; perpensurum, quemadmodum ipse, & quisquis alius, in simili casu & agere, & sibi fieri, optaret, ut id ipsum nobis quoq; benebole permittatur. Quapropter eam de R. T. D. Clementia fiduciā concipimus, non fore, quin Regio animo sit consideratura, ut nos Vlrichus Dux, Principatus nostri, contra iuris & æquitatis rationem fuerim destitutus, tum quod ambo nos, ē domo Vvirembergensi Principes natū & provenientes, eius possessionem, nostro, filij nostri, atq; Stemmatis nomine recuperandi, desiderium habemus honestum, naturale & æquum: ut etiam pro honore nostro, & iure æquissimo, habere debemus. Et quod Electores in memoratis articulis sanciendis ponendisq; Regiae Electionis tempore, atq; in huius modi Feudi collatione, R. T. D. Augustae facta, similiter tot Electores & Principes, qui in Comitijs Augustanis pro nobis Vlricho Duce intercesserunt, quia id ipsum decens, honestum, utile, iustum & æquum esse rati sunt, atq; iudicarunt, imprimis autem, summi Dei creatoris nostri gloriam, quæ in hoc negocio, absq; sanguinis modo effusione cōficiat prædicabit: post honorē Teutonicæ nationis atq; tranquillitatem, in hac temporū difficultate. Deinde animo R. T. D. reuoluat, si hoc institutum latius spargi, & tumultum ferri debeat, difficulter sedatum iri, Nationi&q; Teutonicæ, & fortassis, vniuerso orbi Christiano, præsentissimam perniciem hinc oboriri posse. Quamobrem, hoc recuperationis institutum sic necessarium, R. T. D. neq; molestum neq; graue habeat: sed magis benevolentia prosequatur, nosq; Vlrichum Duxem, amplius non frustretur, non impedit: quod omnipotenti

Deo placitum (procul dubio) erit: per quod deniq; C.

M. & R. T. D. laus atq; honor augescent, & perpetuabuntur, pax promouebitur, leges tutæ erunt, & nihil non felix successum consequetur: nosq; his nostris corporibus & facultatibus, id rursum quamamericissime promereri volamus, R.

T. D. responsum, sed benignum petentes. Dat.

VLRICHVS Dux Vvirembergensis. &c.

PHILIPPVS Landgravius Hessiae, &c.

Dei gratia

AD SVBDITOS DVGATVS  
VVIRTEMBERGENSIS

**N**OS VLICHVS DEI GRATIA DVX  
VVIRTEMBERGAE. ET TECHAE. COMES IN  
Mumpelgart: Omnibus & singulis Vasallis & subditis no-  
stris, Ditionem nostram Vvritembergensem incolentibus,  
Omnibus item Ciubus & Agricolis subditis nostris, his literis significa-  
mus, Quod, cum annis superioribus et nos à vobis, & à nobis vos si-  
atis facto & violenter distracti, nec dubita mus quin ea re maior subditorum  
nostrorum pars, ex animo doluerit, multaq; quæ ex animo improbarent in-  
uiti contra nos agere sint coacti, Principatus quoq; noster, inuitis nobis, vscq;  
in hodiernum diem ab alienis obtinearur, & nos interea temporis multa varia-  
tq; incommoda, ferre ac dissimulare fuerit necesse: Commoti tandem cum eoru-  
dem, tum tristi nostro & stirpis nostræ exilio, diuina ope, & summis nata-  
libus progeniti Principis domini Philippi Lantgrauij Hessiae, Comitis in Ca-  
zenellepogen, &c. consanguinei nostri charissimi, aliorumq; dominorum, at-  
q; amicorum nostrorum auxilio, accinximus nos ad subiectos nostros, à prædi-  
ctis grauaminibus liberandum, & domui Vvritembergæ restituendum. Itaq;  
erga subditos nostros, atque eos qui olim officia à nobis obtinuerunt, si Deus  
sua benegnitate ditioni nostræ & populis nos reddiderit, clementis & bene-  
voli Principis animum (paucissimis exceptis.) & ostendere et retinere planè vo-  
lumus, modo in posterum atq; recens, nihil contra nos admiserint. Hac  
fidutia de omnibus ac singulis vobis concepta, quod è regione erga nos, vt ves-  
trum & genuinum Principem vestrum Vvritembergensem, ad quem diuino  
pertinet iure, vos ceu subditos decet, exhibebitis & geretis, nec corpora aus-  
bona vestra à nobis diuelli patiemini, quam rem speramus omnibus bono  
flore, atq; hac ratione futurum vt felix successus, pax & tranquillitas Prince-  
cipatus nostri Vvritembergensis rursus obtineantur, augeant &  
stabiliantur: id quod vos ex singulari animi nostri de-  
mentia, celare interim nolebamus. In quo:  
rum fidem & testimonium si-  
gno nostro has literas  
iussimus  
communiri. Dat.

## AD CVIVSVIS COND TIONIS HOMI NES.



MNIBVS ET SINGVLIS ELECTORI  
bus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus,  
Nobilibus, cæterisq; cuiuscunq; status Optimatibus,  
Ciuitatibus, & Vniuersitatibus. Nos VL  
CHVS, De gratia, Dux VVIRTEMBERGAE  
& TECHÆ, Comes in Mumpelgart, obsequia  
nostra, benevolentiam & omne bonum. Cum  
notificatione, quomodo ad nostras aures peruenit, eum  
passim de nobis rumorem per ora hominum, idq; ad  
uersariorum nostrorum opera adq; studio, sparsum esse, haud aliter nos atq;  
Imperio sacratissimo rebelles & hostes, à Cæ. Ma. proscriptionis ( quam vul-  
go Bannum Imperiale appellant ) sententia damnatos esse. In qua re vos mi-  
nime latere volumus, nobis haud quaquam constare, huiusmodi sententia aliós  
ue grauamine nos esse notatos. Quin illud verum esse, huiusce rei ergo, neq; in  
ius vocatos, neq; ab ullo insinuatum aut denunciatum nobis esse quicquam.  
Quare, si quid huius factum esset ( quod equidem iustitiae confisi, minime spe-  
ram⁹ ) id iniuria, neq; citatis, neq; vocatis, neq; auditis nobis, sed inscrjs planè ate-  
q; ignorantibus: et sic non modo aduersus Sacros. Rho. Imperij constitutio-  
nes, & sacratissimas Leges, verùm etiā Capitula singularia, quæ Cæ. Ma. dum  
in Regem Rhomanorum eligeretur, dato adsensu, gratosissime admisit ( cuius  
tamen C. suam Ma. nequaquam insimulamus, sed eos qui nobis parum æqui-  
ad eoq; aduersarij, illud iniquè petierunt et quæsiuerunt ) nulliter factum esse,  
neq; nos ex aliqua parte, vel obstringere, vel grauare posse: Cum Ius scriptum,  
Imperij Constitutiones & memorata Capitula, hoc vnum velint, nemis  
nem non vocatum, non auditum, in Bannum hoc Imperiale declarari debe-  
re.

Quam obrem, omnes & singulos vestrum, officiosissime am-  
cē & beneuele rogamus atq; obtestamur, si tale quidpiam sit factum, & pro-  
scriptionis sententia, aduersum nos lata esset, atq; eius quispiam notitiam acce-  
pisset: quia neq; nobis insinuatum est, neq; Alijs publicatum ( quod sciamus )  
id quisque cuiuscunq; dignitatis atq; ordinis sit, vt iniquum & vanum, non cu-  
ret, sed vt minus obligans & nuljum, censeat atq; habeat, perinde atque reuera-  
est, nostræq; conditionis atque infelicitatis, commiserationem nobiscum interim

B ij

ferat

ferat, quidquid hoc est eò collocet, huiusmodi proscriptionē seu Bannum, per eos qui nobis parum æqui sunt sed aduersarij, in præsentissimum grauamen, & perpetuum nostri detrimentum esse petitum vel obtentum: ut qui timuerunt, ne cauſa hæc nostra: vt si semper, & exoptauimus & efflagitauimus: in legitimam cognitionem, & sic in lucem perueniat.

Tum, ut quisq; iustitiæ atq; æquitatis in hoc memor esse  
velit, in'q; animo reponere ut ius ipsum semper in=  
uocauimus, ut sedulo, quo audiremur tan=  
tum, efflagitauimus & obtestati sumus  
atq; in hūc modū, cum benevolū,  
tum fauentem sese ostendat.

quia re posse fieri, ut Rei  
pub. atq; Imperij

Rho. incre-

mentū

queratur,

non est quod

dubitem⁹. Nos

q; erga quemuis, pro  
suæ dignitatis ordinis &  
conditionis ratione, obsequiose  
amicè, atq; vltro promereri, et quam  
optime refundere studebimus.

MARBVRGI.  
Pridie ascensionis Dominicæ.





A 3.3.80.

Jakubowski Stanisław  
Brat Łukasz Tugaj  
Adrian Tomasz S.



Sb.



P V M, V  
T E M P  
L A N  
V v i r  
V. I

